





DE  
**GENIO SAECVLI**

LITTERARIO

PRAEFATVS

AD

**ORATIONEM**  
**PVBLICE HABENDAM**

OBSEQVIOSE  
INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.**

**FREIBERGAE,**

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

**CXXIX.**

**I**ta aetas hominis est comparata, ut quo magis ultra naturalem vigoris terminum ascendit, eo pluribus obnoxia imbecillitatibus fiat, eoque prionor ad lapsum videatur. Idem vero etiam mundo accidere, negare nemo potest; quippe qui, quo magis aetate crescit, eo in peiora indies ruit. Testis est largus ille vanitatum prouentus, et copiosa vitiorum seges, quibus nostra tempora premuntur, et tantum non opprimuntur. Imo adeo corruptus est huius saeculi genius, ut ea etiam, quae cum honestate atque utilitate coniuncta esse possunt et debent, per immundicam nimietatem et peruersum abusum obesse potius, quam prodesse, iure censeantur. Ut autem adpareat, recte nos sentire, illud vitae genus contemplemur, cui nos consecrauimus, litteris et libris servientes.

Quis nescit, olim in singulari laude positum fuisse, multos eosque bonos libros colligere? Quia enim eorum copia non adeo frequens proslabat, de genere humano praecclare mereri existimabantur, qui ad has opes congerendas sumitus adserebant, et liberalitatem laude dignissimam exercebant. Quo autem loco ille habendus erit, qui, quum ingenii et doctrinae nulla facultate sit praeditus, eruditu nomen eo tueri se posse arbitratur, si in libris comparandis omnem rem familiarem exhaustur, quos nec legit, nec intelligit, et postquam multa plaustra voluminum aude corrasit, ea in armamentariis disposita multoque auro et picturis distincta aliquoties per diem hilari vultu adspectat, amicisque et clientibus suis identem demonstrat. Res ipsa quidem per se considerata omni omnino laude est digna, quia sine librorum adiumento ad variarum rerum cognitionem non peruenitur. Atenim vero ita libros possidere, vt cœcus maximam vim pecuniae habet, hoc certe ab insania parum abest. Quoniam enim huius generis homines libros neque ipsi usurpant, neque aliis, iniuria prohibiti, usurpando commodant, illa variae doctrinae penuria, pulvere forfescunt, blattis in pabulum cedunt, et a tineis absuntuntur. Tandem, possessore mortuo, heredes hanc molem dimidio pretio cum insigni detimento extrudere coguntur.

Praeter hos huius saeculi genius alios eo adducit, ut profuso titulorum splendor singularem famam et gloriam aucepuntur. In quorum musaea si admissus fueris, bone Deus! quantus ibi rei litterariae adparatus, et quantus eruditonis fucus oculis obuersatur! Nam rubricæ auro ornatae libros Theologicos, Iuridicos, Medicos, Philosophicos, Historicos, et Philologicos produnt, et volumina multis tomis distincta complectuntur, vel, vt poëta cecinit,

Scripta



*Scripta gigantae quorum sub pondere molis  
Triflora Encelado bibliopola gemit.*

Dum vero bibliopolarum mentionem facio, multos in eorum numero deprehendo, qui, genium saeculi sequentes, alienis oculis vident, et alienis auribus audiunt, de pretio librorum potius solicii, quam ut de illorum praeflantia iudicare valeant, et satis habentes, si libri, quos venum exponunt, speciosis titulis, luculentis characteribus, venustis imagunculis, et nitida charta sese commendent, et ita his illecebris corvi hiantes deludantur. Vbi enim hac aetate Manutii, Stephani, Frobenii, Plantini, Commelinii, Wechelii, Oporini, Wettstennii reperiuntur? qui tantum doctrina et eruditione valebant, quantum curae et sumptuum in libros emendate excudendos impendebant. Porro depravatum saeculi morem sapit affectatum multa sciendi studium, et inordinata intemperies studiorum, qua polyhistores se euasuros multi existimant, qui ad litterarum studia animum adpulerunt. Evidem non inficior, aetatem nonnunquam tanti vigoris ingenia tulisse, quae per vniuersum humanarum scientiarum circulum grassabantur, qualia in Erasmo Roterdamo, Philippo Melanchthonio, Lipsio, Grotio, Scaligero, Vossio, et Barthio aetas superior vidit, et nostra admiratur. Licet vero hi, et fortasse alii heroes litterarii nihil fere in studiis reliquum fecerint: semper tamen tumultuariam proficiendi rationem detestati sunt. Licet etiam insigni librorum copia instructi fuerint: diuitias tamen ingenii sui non nisi ex indefessa lectione optimorum auctorum sibi compararunt, ex limpidis fontibus ea haurientes, quae alii ex putidis paludibus corradiunt. Sed rarissimae sunt haec naturae dotes, quippe quae inter tot hominum millia vix vni conferuntur. Praeterea quoque exigui sunt cancelli, quibus vita nostra est circumscripta, quam si quis uni studio cum spe fructus et gloriae impendere meditatur, is profecto habet, quod a primis pueritiae annis agat. Qui vero pluribus simul inhiat, idem plerumque fatum cum cane Aesopico experitur, et sero intelligit, le ex omnibus aliiquid, ex toto nihil lustratum esse.

Quam certum igitur est atque exploratum, veram hominis eruditioinem ex multitudine librorum, quos vel possidet, vel quorum titulos in numerato habet, censeri non oportere: tam necesse esse videtur, nosse, quibus libris vti debeat, qui eruditio nomen tueri cupit. Sicut enim merito sutoriem risu excipimus, qui officinam suam fabrilibus instrumentis instruit, et textorem insanire credimus, qui vel in pugilum armis, vel in fornicibus ad chemiam destinatis plurimum

rimum pecuniae exhaustus, ita iure ac merito ille pipulo differtur, qui studio litterarum sanctorum mancipatus, plures libros iuridicos, quam theologicos comparat, et vicissim ille censuram incurrit, qui inter iuris cultores non enim profitetur, et maximam librorum medicorum multitudinem coemitt. Neque ad multa discenda multi libri requiruntur, sed multa potius lectio, eaque prudenter suscepit, sufficit. Videmus enim, quod apes ad favum colligendum neque quaslibet arbores involent, neque quibusvis promiscue floribus infideant, sed eos solos circumspiciant et explorent, unde idoneos succos exsugere queant. Neque eos semel iterumque frequentasse, satis habent, sed identidem abeunt et redunt. Pari vero modo, qui multos per libros vagantur, vix quicquam solidi ex iis referunt, quam e contrario, qui paucos eisque bona frugis libros assidue evoluunt, eos longe facilius et felicius ad veram doctrinam peruenire, experientia docemur. Et quis sibi persuaserit, vnuin hominem aliis in negotiis expediendis occupatum, sufficere aliquot millibus librorum fugitiuo oculo perlustrandis, ne dicam, accurato studio excutiendis?

Sed patiamur, hosce homines stolidos suis crepundiis delectari, et librorum copia ac varietate sibi mirifice placere, dummodo copias suas intra parietes contineant. Quis vero non rideat atque exsiblet illos, qui ad famae aucipium et insidias auribus atque oculis faciendas ex libris multo sumtu congestis quamcunque scribendi materiam compilant, ut chartae crescant et nomina sua in indicibus literariis celebrarentur, vel qui, Horatio teste,

*gaudent scribentes, et se venerantur, et vltro,*

*si raceas, laudant, quicquid scripsere beati.*

Ex quo consequitur, ut multa aliena admisceant, quae a proposito scopo toto caelo amplius differunt. Et, si ad praefixum libro titulum respicias, et paginas illius examines, vix vestigium veri adpareat, adeo, ut velut in sylva ignota erres, tandemque multas post ambages per contorta diuerticula in viam redeas, mox vero, ubi regia te incedere putas, nescio, quorsum iterum te abductum deprehendas. Scilicet hic saeculi genius ita inualuit, ut multa facilius, quam solida et bona scribantur, imo plus operae hodie impeditur ad oculos indoctorum fallendos, quam ad ipsum doctorum explendam: quemadmodum in eorum officinis, qui res suas decoixerunt, fieri videmus, qui, ne, qui sint, adpareat, ex ordine pyxides, capsulas et vacuos sacculos ponunt, laruatam copiam ostentantes.

Et,

Et, vt nihil ad summam vanitatem desit, multi, facili genio abrepti, peculiares indices libris suis subnectunt, in quibus, quos sine ordine per integrum librum misere consarcinarunt, auctores, repetendo in medium adducunt, lecto-ruinque oculis exponunt, ita quidem, vt ne ille quidem, cuius nomen solum allegatum fuerat, quasi vel totum excusissent, vel non contemendum ex illo fructum hausissent, omittatur. Quam vanitatem multi olim exploserunt, et hodie omnes prudentiores rident: licet negari non possit, alios hanc consuetudinem permittere, præsertim vbi auctoritate nisi oportet, et vanum abest studium ostentationis. Imo laude est dignum, si in studiosae iuuentutis commodum vir in omni doctrinæ genere versatus proborum auctorum indicem adornat, eundemque succincto et perspicuo indicio comitatur. Nam quemadmodum, qui ex metallurgia vitam sustentant, si perspectum atque exploratum habent, vbi secundae venae lateant, certissimum ad opes subterraneas aditum tenent, quum ignari in perscrutandis terræ visceribus fallaci labori inserviant: ita eadem sunt conditione, qui, vnde necessariam eruditio[n]is sup[er]lectio[n]em quaerere debent, ductu virorum doctorum cognoscunt. Atenim vero sola nomina recensio non sufficit, nisi cuiusvis auctoris doctrina extremo saltu dito indicetur. Hoc vero subinde ab iis negligi et praetermiti, quibus fauna sua magis curae est, quam lectoris vsus et fructus, experientia testatur.

Multi etiam rerum perfectissima notitia ita turgent, vt, si Plautum euoluerint, Ciceronem primis labris gustauerint, Pœtas aliquos a facie norint, aliquot annos in scholis contrinerint, praedicamenta logica ordine recensere didicerint, Syllogismum in Barbara et Celarent construere, et figuræ rhetoricas enumerare possint, fervido impetu ad pulpita adsurgant, vehementi aeshu ad chartas ruant, et metuant, ne ilia parturientibus rumpantur. Mox summis de rebus commentarios conscribunt, et, vt labores sui publici juris fiant, et ubique diuulgentur, omnem operam impendunt. Itaque, quod Salomon animo praenedit, dicens, librorum componendorum fine[m] non esse, id experientia non tantum confirmatur, sed timendum etiam est, ut mundus capturus sit omnes libros, qui mole sua laborant.

Et variae quidem huius cacoëthis sunt causae, vti diuersi vnius et eiusdem morbi fontes esse possunt. Multi enim malo spiritu adflat, quum corrupti cerebri portentosas opiniones et sententias in Deum et literas sacras iniurias alio modo publici juris facere non poslunt, libro venenum illud instillant, et quidem, quod apertum malae causæ est indicium, nomine vel dissimulato[r] vel ficto. Alii bilem in eos, quibus alia ratione nocere non possunt, virulen-tis

tis cum comitiis euomunt, vsque adeo, vt ne magistribus quidem et aliis viris praecclare meritis parcant. Et quidem plerumque subdole et fraudulenter agunt, argumentum aliquod scriptoris eligentes, quod nihil minus, quam eiusmodi calumnias, scommata et pipulos p[ro]e se ferre videtur, mox autem, velut aliud agendo, bonorum virorum criminationes, infectationes et obrectationes impudentissime eructant.

Praeterea genius saeculi in eo etiam suam vim exserit, quod plerique libris conscribendis vel aurum vel auram popularem aucupantur. Adeo enim vitia inualuerunt, vt non desint, qui pro auro atque argento innocentiam condemnent, iustitiam peruerant, et ipsam honestatem cavillentur. Quo sit, vt manifesta flagitia, ab iis praesertim admissa, quibus vis pro iure fuit, semper suos patronos nanciserentur, in palliandis atque incrustandis malefactis adeo occupatos, vt pro aris et focis decerpere viderentur. Proh, Deum immortalem! quae nefanda et fere inaudita fce'era filio procacissimo aliquando fuerunt defensa atque excusata! et plerumque quidem cum impudentissima Numinis divini contestatione, et aperta iuris diuini atque humani peruersione. Ita nimis rum, quos malae causae conscientia coarguebat, ne publice irreligiosi atque impii viderentur, librorum velamenta fese inquiebant: imo ita alii pestilentibus opinionibus, alii vero marsupio suo seruiebant. Vti vero lucrum illud omnium minime est honestum, quod ex huius generis scriptis vel ad consarcinatores vel ad venditores redundat: ita a viris religiosis perinde atque a tribunali diuino condemnatur. Quanto autem cum damno haec scripta tolerantur, res ipsa non loquitur, sed clamat, inprimis, vbi isti tenebriones sacraria religionis inuidunt. Si vero religio ipsa friget, quid mirum, si honestas alget, leges silent, virtus animam agit, et iustitia exspirat? Extrema enim haec sunt tempora mundi in peius ruentis, vbi virtus post numos ne quidem quaeritur.

Tali autem modo non modo vitiorum sed librorum etiam nequissimorum seges luxuriat. Chartae enim futileissimae adeo libere venduntur, vt, sic vel cum Diogenis lucerna bibliopolium ingrediaris, utilium scriptorum parum, papyri autem plurimum reperias. Namque in locum solidae doctrinae maleferiata curiositas successit, primus ad barbarum gradus, cui bibliopole multo cum studio palpantur, vt vanae hominum libidini et commodis suis seruant, de publico bono parum vel nihil solliciti. Qua ratione aliis a mercatoribus nihil omnino differunt, qui eas potissimum merces aduehunt et venales exponunt, quibus maxima pars hominum pro suo ingenio delectatur. Et inde fit, vt auctores

auctores utilissimi sordescere incipient, quum in recudendis iis pauci et operam et sumitus ponant, doctissimorum vero virorum lucubrations, multo labore paratae, et cedro dignae, in obscuru lateant, et a blattis, tineis, et muribus absumentur, contra vero vanissimorum ingeniorum abortus et febricitantium deliramenta aude legantur, et orbem litterarium vauersum inaudient.

Ad extremum ille corrupti saeculi genius est tangendus, qui plerisque eruditorum tantum sui et scriptorum suorum amorem inspirat, ut, etiam si conuincantur, se halucinatos et praecipitania in errorem abreptos esse, tamen, gloriae, quam anhelant, iactaram metuentes, quiduis potius agere, quam revocare errorem malint. Hoc nimurum, Erasmo Roterodamo iudice, hoc pertinaciae plerisque ingenii est insitum, vt, quod semel quocumque casu pronuntiauerunt, nunquam tueri desinant, etiam si compererint, se perperam statuisse. Huius generis homines, omnis erroris immunes sese existimantes, omnia secum ruere, frangi et turbari malunt, quam pedem retro flectere, imo, etiam si aliquando sua vita agnoscant, non tamen emendant, sed torquendo et excusando tergiuerfantur, nomini magis quam veritati et conscientiae consuientes. Multi vero, aliis causis adducti, opiniones suas retractant: et alii quidem, vt vel contumeliam intentata, vel alia imminentia periculis effugiant; alii, vt viorum auctoritate valentiam gratiam sibi concilient; alii, vt iisdem, qui eandem sententiam summa cum contentione defendunt, aegre faciant; alii se ipsis publice erroris arguant, vt inclarescant, et modestiae laudibus celebrentur. Imo sunt, qui, videntes, scripta sua tenebris premi, et incognita atque illaudata delitescere, vt in ora eruditorum veniant, se ipsos tecto nomine refutant, quia nemo censura illos dignatur, in quem calamus stringant. Quis ex his iam disputatis, non intelligit, vesana ambitione et stolido suo ipsorum amore hos homines inescatos et abreptos reip. litterariae plus detrimenti quam emolumenti adferre? Multum enim falluntur, existimantes, eos, qui sententiam mutant, suam inconstantiam prodere, quae leuis animi est indicium. Nam, quod recte Seneca iudicat, nequaquam est levitas, a cognito et dannato errore discedere, et ingenuus fateri: aliud putavi, deceptus sum: haec vero superbae fluitiae perseverantia est: quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratumque esto. Neque etiam cum existimationis et famae dispendio coniungendum esse, quisquam arbitretur, pictorum more, vbi erratum suit, spongiam adhibere. Quid enim pretio et dignitati Virgilii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii,

brofii, Theodoreti, Gregorii Magni, Eusebii, Thomae Aquinatis, Aeneae Sylui, Mart. Lutheri, Caesaris Baronii, Scaligeri, Franc. Patricii, Buchananii, Vossii, et aliorum decessit, quod ea publice renouauerunt, quae minus accurate cogitata et proposita viderant. Sed satis de genio saeculi literario, quem strictim verbis Gallicis scriptoris celeberrimi, Ballacii notare licet: *l' humeur, ou nous nous trouvons aujourd'hui, est le degout d'un siecle malade, qui preferre les sausses aux viandes, et sa fantaisie a sa sante.*

Iam vero restat, vt caussam indicemus, quae ansam ad hanc scriptiōnē suppeditauit. Pietas nimirū erga leges scholasticas et benefactorem de Gymnasio Freibergensii meritissimum, IO. CHR. RICHTERVM, qui iuuenibus in academiam profecturis viatico prospexit, vt auspiciis non interpellatis nouos labores adgredi possint, anniversariam huius munificentiae memoriam religiosa recordatione prosequi nos iubet. Et quoniam ex liberali voluntate GRAVISSIMORVM DNOR. INSPECTORVM hoc beneficium anno praesenti illi est adsignatum, qui adhuc omnes boni discipuli partes studio laudabili expleuit, eo lubentius nos hoc negotium suscepimus, quo certius animo praeuidentes, eum etiam in posterum talem futurum, qualem huicdum cognouimus. Est autem ille

GOTTHELF BENIAMIN SCHMIDT,

Freibergensis,

qui prius, quam discepcionem faciet, oratione Latinis verbis concepta *de felicitate provinciae, quae litterarum studiis floret, exponet, et simul Patronis ac Benefactoribus gratum animum declarabit. Quo facto, commilitonum nomine*

Ludov. Gotthelf Wildenbayn,

Langenhennersdorffensis,

amicō suo auspicatum abitum carmine Germanico comprecabatur, *de laudabili cupiditate honoris paucā p̄aeſatus.*

Vos PATRONI et FAVTORES, vt cras hora ante meridiem nona ad conatus tironum nostrorum benelos animos et vacuas aures adferatis, qua par est, obseruantia oro ac rogo. Freib. d. XX, Febr.

MDCCLXIX.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle  
001 508 164

3







DE

GENIO SAECVLI

LITTERARIO

PRAEFATUS

AD

ORATIONEM

PUBLICE HABENDAM

OBSEQVIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXIX.